

Quomodo enim ista cognitio, quae spiritum sanctum auctorem habet, & ex lumine verbi caelestis est desumpta, dici potest *inefficax, minime salutaris, mortua?*

*Quomodo enim ista cognitio &c.)* Mutat hic aperte vir doctissimus statum controuersiae. De cognitione enim hominis irrogeniti, ratione originis spectata, loquitur; cum ego eam ratione effectus, per hominum repugnantiam impediti, consideraue- rim. Ratione originis enim spectata ista cognitio, prout ex verbo diuino est hausta, immo, prout obiectiue considerata, ipsum verbum diuinum est, vtique efficax est, salutaris & viua, hoc est, fidem, salutem, vitam spiritualem in non resistantibus operari potest. At si ratione effectus, quem producere poterat & debebat, sed qui per hominis repugnantiam sufflaminatur, spectetur, aliter est existimandum.

Nonne illa ipsa cognitio hominis eiusmodi adhuc irrogeniti cor saepius compungit, arguit, vocat, inuitat ad reduntionem cum Deo, a quo auulsus viuit adhuc in tenebris peccatorum? Nonne saepius accidit, vt eiusmodi homo irrogenitus in medio transgressionis actu stimuletur lumine isto, quod intellectus ipsius ex informatione olim admissa possidet, ad sui conuersionem? Vnde quaeso filius prodigus accepit animum reuertendi ad patrem suum? Nonne ex reminiscencia bonorum paternorum, quorum cognitionem adhuc retinuerat, efficacem aequae ac salutarem & viuam, etiam in ipso suo statu peccaminoso?

*Nonne illa ipsa cognitio hominis eiusmodi adhuc irrogeniti cor saepius compungit &c.)* Haec omnia nihil aliud probant, quam quod cognitio ista, obiectiue, & ratione originis spectata, vim suam subinde exserere adnitatur. Quamdiu autem eousque non procedit, vt fides progignatur, effectus talis, qualis sequi poterat & debebat, non sequitur, adeoque nec homo vere illuminatus dici potest.

Sed dices: Eiusmodi hominem stilo scripturae sacrae non dici illuminatum, non esse lucem in Deo, non proferre fru-